

*Idola, & eorum Templa destruantur.*

*Mexic. 1. c. 72.* **G**ubernator etiam, & alij Catholicæ Majestatis Ministri omni studio, & diligentia provideant, ne in domibus, aut alijs, quibusvis ædificijs colloquata Idola extent, immo eadem dissolvi, ac penitus dereli faciant, excelsaque loca ubi miseræ illæ gentes dæmonibus immolabant, quæ Cœs Indi vulgo vocant, dejici, ac solo æquari præcipiant; ne antiquus humani generis hostis, qui semper nocendi artes querit, ullam inveniat præstine impietatis imagines, quas denuo, a gentilitate conversi callide suggerat ad decipiendum, immo ita ijs, qui jam contriti, Dia. boli laqueis, bene juvante Deo, liberati sunt, omnis Idolatriæ via intercludatur, ut gentilis infanæ prorsus oblitæ, fortæ in Christi Fide permaneant.

## §. III.

*Vita civili, & sociabili Indi sufficiantur: Ideoque in op. p. 100 apud c. 1. pida congregentur.*

*Mex. 1. c. 73. & Livenç. 3. ad. 4. cap. 4.*

**C**UM non sine magno dolore eorum, qui christianæ zeio ardēnt, in his Indianum partibus, usū, & experientia manifestum sit, in montuosis, asperissimisque locis Indos habitare dispersos, & a civili hominum congregatione remotos: quo sit, ut nec mores immanitate barbaros depontant, nec sanam Doctrinam suscipiant, nec Sacramentorum remedij juvari, & a vitijs cōcereri possint, quodque pejus est, multi adhuc Christiano charactere insigniti non sint.

Cum-

Cumque Catholica Majestas, ejus oneri incumbit, has sibi subditas gentes regimine moderari, suam conscientiam exonerare volens, insigni pietatis zelo sepe caverit edicto, ne Indi sic dispersi in solitudinibus commorentr, sed ad numerosos Populos reducti, in civili hominum congregatione vivant, nulla que tam justi mandati secuta sit executio: Id circa hæc Synodus, ad quam maxime spectat sollicite providere, ne oves immaculati Agni sanguine redemptæ aberrent, ac Dæmonum, tanquam luporum crudelissima rabie lacerentur, Gubernatores, in his partibus Catholicæ Majestatis vices obtinentes, quantum potest in Domino cohortatur, ut omni posthabito seculari impedimento, vere pio, & Christiano animo in hanc curam incumbant, & ipsi in causa sint, quomodo justissimum regium edictum ad debitum effectum perveniat; immo scientes, quam sint in die tremendi Judicij rationem Deo reddituri, toto animi conatu prædicti mandati executionem procurent. Prælatos quoque monet eadem Synodus, ut huic negotio confiendo, ex quo indigenarum convercio, ac morum hujus Provinciæ reformatio dependet, omnem operam præstant. Quod si minus fiat, nec Majestas Catholicæ juri Patronatus Regio satisfacere videtur, neque ejus Ministri effectum edicti retardantes, excusabiles sint in conspectu Dei, nec tuti in conscientia Episcopi esse possunt, si instantissime non egerint, ut tam gravi malo, graviorique in dies futuro, nullatenus remedium differatur,

\*\*

di 2

G 2

Tl.

re, immo sancta, ac salutaria ejus Decreta pie suscipit, religiose veneratur, protestatur etiam nolle se in toto, aut in aliqua parte derogare Juri Patronatus Regio, ab Apostolica Sede concessu Philippo Hispaniarum Regi nostro Catholico, qui novum hunc Orbem Occidentalem a Deo sibi commissum in pace, & tranquillitate gubernat, ac singulari, eximiaque pietate moderatur, cum Fidei Catholicae, & Christiani nominis propagatione. Pro cuius vita tantopere reipublicae Christianae necessaria assidue orare debemus, ut Omnipotens Deus nationes barbaras, & Christiani nominis inimicas, sibi subjeciat, eique, ut quæ in Christo Fides est, regnet, longa, & felicia tempora concedat.

## TITULUS III.

### *De Rescriptis.*

#### *DE OBEDIENTIA, ET EXECUTIONE RESPRIFTIS APOSTOLICIS DEBITA.*

##### *§. I.*

*Nullus Judex mandata Executorum Litterarum Apostolicarum exequatur, qui prius sunt ab Episcopo recogniti.*

*Mexic. 1. c. 89.  
& Cenc. Hispan. de Deca. fol.  
17. pag. 2.*

**S**IQUIT oportet Praelatos, & Judices Ecclesiasticos sine ulla intermissione, aut aliquavis causa Apostolicis parere mandatis, eademque ad debitam executionem perducere; sic etiam occurrendum est molestijs, vexationibus, & injurijs, que in his tam longe a Summo Pontifice remotis locis,

a multis inferuntur, qui falsis litteris, quas ipsi Apostolicas dicunt, aut brevibus Summi Pontificis abutuntur, concessionis affectu fraudulenter imputato, vel termino in eis praefixo jam omnino elapsa. His igitur incommodis providere volens haec Synodus statuit, & præcipit omnibus hujus Archiepiscopatus, sive Provinciae Ecclesiasticis Judicibus, ut omnibus, & quibuscumque Apostolicis mandatis, sibi intimatis, obedient. Nec tamen alicuius Judicis, qui se, vel executorem Apostolicum nominet, mandatum aliquod exequatur, nisi prius in casibus a jure expressis, originali Judicis Apostolici hujusmodi commissione, processu, sive mandato coram Episcopo Diocesano, seu ejus Vicario Generali exhibitis, ut juxta prescriptum decretalis Epistolæ, quæ incipit, *Cum Personæ*, si litteras authenticas esse constiterit, executioni mandentur; si vero ob defectum aliquem, vel vim non habeant, vel earum executio suspendi debat; Prælatus Summum Pontificem consulat, ut sic Apostolicis mandatis debita obedientia, & executio exhibeat, & nullus injuste molestetur.

##### *§. II.*

*Circa Judices Conservatores varia decernuntur.*

**U**LT aditus intercludatur dissentionibus, & litibus permultis, quas nonnulli movere solent, obtinentes per Litteras Apostolicas certos sibi Judices Conservatores, sub praetextu, quod eis a Judicibus Ordinarijs injuriæ, ac molestiæ inferantur, ad prescriptum Sancti Concilij Tridentini decernit haec Synodus, ne litteræ conservatoria hujusmodi cum

*Cum Personæ de  
privilegijs lib. 6*

*Seff. 14. c. 5. §  
tx. ubi DD. in  
cap. 1. & finali  
de off. & postea  
judi. deleg. in 6.*

20 Lib. I. Tit. II. de Constitutionibus.

Mexic. 1. c. 93.  
& Milan. 1. par.  
3. tit. de panis,  
Pers. ut nominis,  
& Limen. 3. ad.  
2. c. 2. & 3. 4.  
2. 24. & 25.

quod eorum promulgationi non interfuerit: hæc Synodus decernit, sufficientem esse sollemnem eorum promulgationem, in hac Metropoli factam, ut omnes eisdem subjaceant, ac in eis contentas penas incur. Monet etiam, ad uberiorem cautelam Episcopos, ut eadem in suis Dioceſibus, si opus fuerit; Vicario autem, seu Præſidenti, Sede Episcopali vacante, præcipit, ut infra duos menses, a die habita notitia computandos, in Ecclesia Cathedrali Decreta predicta respective publicari faciant.

§. IV.

Catédráles Ecclesiæ hujus Concilij exemplar habeant.

Mexic. 1. c. 93.

Statuit item Synodus, ad perpetuam horum Decretorum conservationem, & ad commoditatem Personarum Ecclesiasticarum, ad quas pertinet Ecclesiasticas Constitutiones, quibus gubernantur, legere, & salubriter intelligere, ut reconomus hujus Metropolitanæ Ecclesia infra duos menses, immediate sequentes, post eorum promulgationem; Decreta hæc Carta pergamena scribi, ac sigillo hujus Synodi communici faciat, eaque sic scripta, & sigillata in Archivio Metropolitanæ hujus Ecclesie afferventur. Post eorum vero impressionem, cum librorum copia commode poterit haberi, singuli reeconi singularum Cathedralium Ecclesiæ hujus Provinciæ duos libros emant, quorum unum in uno Choro, alterum vero in altero catenulis alligatos reponant. Singuli itidem Parochialium Ecclesiæ reeconi post sex menses, a die publicationis presentium Decretorum, librum unum emant, quem in Choro, vel

Vide infra tit. de  
effic. Rectoris §.  
1.

Sa-

Lib. I. Tit. II. de Constitutionibus.

21

Sacristis, ubi ad usum legendi commodius haberipossit, catenula similiter alligatum collocent. Vicarij etiam Curati, ac Beneficiati, intra eorumdem sex mensium spatium, librum quoque unum apud se retineant. Qui omnes, & singuli nominati, si intra præscriptum tempus, his non paruerint mandatis, pondo viginti multentur, quorum partes duæ Ecclesiæ, ubi fuerint reeconi, Vicarij, Curati, aut Beneficiati, applicentur, tertia vero accusatori.

§. V.

Quid agendum Judicibus, cum juxta hæc decreta sententiam pronunciabunt.

Item, & Paro-  
chi præsent.

Ac Beneficiati.

Grauat, tit. de  
constitution. n. a.

Präterea statuit, ut si Judek aliquis Ecclesiasticus causam desinierit, aut in ea sententiam tulerit juxta aliquod hujus Synodi Decretum, illud, partibus etiam non instantibus, inseri in processu faciat, ne sine eo processus originalis, aut illius exemplum ullibi reperiatur; si vero ad instantiam partis mandatum, sive monitoriales litteræ, in alicuius Decreti executionem ab eodem Judge concedantur, in iis intro scripta Decreti series de verbo ad verbum exprimatur. Quoniam vero hæc tertia Provincialis Mexicanæ Synodus, legitimate sub Apostolica Sedis obedientia congregata est, ad Sacrorum Canonum, ac præsertim universalis Concilij Tridentini observationem, & executionem, cupiens, ut omnia ab ea sancta, atque de cœla felicem in Domino consequantur effectum, protestatur, se numquam intendisse, nec intendere Sacrosancti ejusdem Concilij universalis Decretis contradicere, nec in aliquo repugna-

H2

re,

Limens. 3. ob. 2.  
c. 1. in fine, &  
ad. 5. c. 1. Conc.  
Provin. de Qui-  
roga ad. 3. c. 51.

## **TITULUS II.**

### **De Constitutionibus.**

## DE AUTORITATE DECRETORUM.

ET PUBLICATIONS FORUM

§. I.

*Decreta præcedentium Synodorum abrogantur.*

*Granat. tit. de  
constit. n. 1. &  
Synod. de Qui-  
roga in præmio  
S. y por que.*

**V**ARIETAS temporum, ac necessitas rerum, sicut usu, & experientia didicimus, plerumque in causa esse solet, ut antiquis abrogatis legibus, aliae denuo constituantur. Quare, et si constitutions in duabus Synodis Provincialibus Mexici celebratis, prima scilicet anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto. Secunda vero, millesimo quingentesimo sexagesimo etiam quinto sancte, ac laudabiliter editæ sint, quibus potius insistere, quam alias iterum condere oporteret: et tamen horum temporum conditio est, isque hujus Provinciæ status; ut nisi rerum opportunitati convenientiora decreta sancirentur, difficile incommodis occurrentibus remedium afferri possit. Ne igitur ex legum multitudine confusio generetur, decrevit hæc Synodus, ut ex antiquis decretis illa, quæ præsenti rerum statui convenienti, simul cum denuo editis uno volumine comprehendantur, quo facilius ea quisque intelligat, quæ pro fux conditionis ratione facere tenetur.

S. II.

§. I

*Ut hujus Synodi Decreta obseruentur Personis omnibus  
præcipitur.*

**Q**UÆ quidem decreta solum deinceps autoritatem, ac firmitatem habitura decernens eadem Synodus: omnes, & quascumque Personas hujus Provinciæ, cujuscumque status, gradus, ordinis, & qualitatis existant, monet, & hortatur, eisque in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut decreta prædicta, dum tamen nihil Sacris Canonibus, Summorum Pontificum constitutionibus, & Concilij Tridentini Decretis contrarium contineant, in omnibus, & per omnia juxta eorum seriem in posterum teneant, & observent, sub penit in eis contentis, & alijs contra rebelles pro eorum contumacia aggravandis. Revocat etiam præsenti Decreto omnes, & quascumque alias Provinciales Constitutiones, ante editas, quæ hujus Synodi decretis inserte, renovatae non fuerint, easque decernit irritas, & inanes. Itidem omnibus, & quibuscumque Ecclesiasticis Judicibus, ac Justitiæ Ministris mandat, ut per hæc decreta, omni in illis contenta exequenda, causas definire, ac in eis sententias ferre, eisdemque decretis stare debeant sine contradictione cujusquam.

§. II

*Decretorum eorumdem promulgatio, in Ecclesia Metropolitana facta, pro sufficienti ubique habeatur.*

**N**E autem Persona aliqua Ecclesiastica, sive Secularis, ab horum Decretorum observatione, per ignorantiam se valeat excusare, sub praetextu

三

**quod**

*Conc. Provinc.  
de Quiroga ad.  
2. c. 3. & ad. 3.  
c. 50. & Limens.  
3. ad. 2. c. 1. &  
ad. 4. c. 24. &  
25.  
Cap. annis. cap.  
decernimus 18  
disind.*

depütatione Judicium cuiquam suffragentur ad hoc, ut coram Judice Ordinario in causis criminalibus, & mixtis non possit conveniri, & contra eum procedi, aut quominus in causis civilibus, si que ei jura ex cessione competierint, super illis libere valeat apud Judicem Ordinarium conveniri. In civilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos Conservatores Judices in judicium trahere minime liceat. Quod si in his causis, in quibus reus fuerit, contigerit, ut electus ab eo Conservator, ab actore suspectus esse dicatur; aut si que inter ipsos Judices Conservatorem, & Ordinarium controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma juris electos, super suspitione, aut jurisdictionis competence fuerit judicatum. In causis etiam mercedum, aut miserabilium personarum, non obstantibus conservatorijs litteris, coram Ordinario conveniri possit; nemo etiam similium litterarum beneficio ultra quinquennium gaudere possit: familiaribus vero ejus, qui hujusmodi conservatorijs litteris tueri solent, nihil illæ profint præterquam duobus dumtaxat, si tamen illi proprijs ejus sumptibus vixerint. Non liceat quoque Conservatorijs Judicibus ullum habere Tribunal erectum, Universitates autem generales, ac Doctorum, seu Scholarium Collegia, & regularia loca, nec non hospitalia, actum hospitalitatis servantia, & Universitatum, Collegiorum, locorum, & hospitalium hujusmodi Personæ, ad mentem ejusdem Sacri Concilij hoc decreto minime comprehensæ, sed exceptæ omnino sint, & esse intelligantur.

## §. III.

*Nemini Apostolicæ dispensationes suffragentur, nisi sint ab Ordinario recognitæ.*

**S**Tatuit etiam hæc Synodus autoritatem Concilij Tridentini secura, ut dispensationes eæ, quæ gratiæ, & sine commissione particulari a Summo Pontifice concedentur, suum non fortiantur effectum, nisi prius ab Ordinario, tanquam Apostolico delegato summarie tantum, extrajudicialiter cognoscatur, expressas preces, subreptionis, vel obreptionis vito non subjacere.

*Seff. 22. c. 5. de Reform.*

## §. IV.

*Idem servetur in cōmutationibus ultimarum voluntatum.*

**I**N commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non nisi ex iusta, & necessaria causa fieri debent; Episcopi tanquam delegati Sedis Apostolicæ summa. rie, & extrajudicialiter cognoscant, nihil in preci- bus, tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutations prædictæ executio-

*Seff. 22. c. 6. de Reform.*

ni demandentur, ut est a Sancto Concilio Tridentino decretum.

**TITULUS IV.**

De ætate, & qualitate ordinandorum, &  
præficiendorum.

**DE SCIENTIA AD SACROS ORDINES,**  
**ET CURAM ANIMARUM NECESSARIA.**

## §. I.

In Ordinibus conferendis maxima cautione Episcopi procedant.

**S**ACERDOTALIS dignitas, & eorum, qui Altari deserviunt, celstudo non patitur, quemquam ad id muneris admitti, nisi prius ejus merita probata fuerint, ac bene perspecta. Præfertim cum illud grave damnum Ecclesiæ Catholice importet, quod multi ad Sacros Ordines sine delectu promoveantur, qui absque ullis meritis in tam sublimi gradu collocati, postea Clericali instituto injuriam irrogantes misere ceciderunt. Quapropter vehementer exoptans hæc Synodus præterita damna refarcire, ecclesiasticumque Ordinem, in pristinum dignitatis, & splendoris locum restituere; quantum potest, Episcopos hujus Provincie exhortatur, ne contra Apostoli præceptum cito manus imponant, sed cum omni diligentia, & animi contentione, ordinandorum qualitates examinent, & merita expendant, neque eos, qui minus fuerint idonei, paucitatis Ministrorum prætextu, ad Sacros Ordines suscipiens, ulla tenus admittant; cum Divinus Cultus, animarumque commodum, paucis digne, quam multis indigne ministrantibus magis acrefcat; quæ omnia, ut melius dirigantur, decernit primum, ne ullus ad majores, vel minores Ordines admittatur, nec ei, ut admitti possit, licentia concedatur, nisi prius de eo, periculo facto, his esse prædictum qualitatibus constiterit, que ad illum Gradum, vel Ordinem ex Concilij Tridentini decretis sunt requisite.

*1. ad Thib. 5.  
Conc. Trid. Sess.  
23. c. 7. de Refor.*

*Conc. Limen. 3.  
ad. 2. cap. 33.*

*Sess. 21. c. 2. &  
Sess. 25. c. 4. & 5.*

*Non nisi proba  
tissimi, ac delatæ  
Promoveantur.*

## §. II.

## §. II.

Nullus ad Clericalem tonsuram promoveatur, nisi iuratus testetur velle se in Ecclesiastico statu permanere.

**V**erum ad speciem magis descendendo, præter scientiam, & ætatem, quæ ex Concilij Tridentini decreto necessaria sunt: Nullus nisi prius, iuramento præstito de intentione permanendi in habitu Clericali, admittatur, nec ad primam tonsuram promoveatur. Illi vero ante quartum decimum annum poterunt prima tonsura iniciari, qui in Cathedrali Ecclesia Clericali toga, & superpelliceo induti, per duos saltim annos, Divino Cultui inservierunt, si prius eorum Parentes, vel Tutores propositum sibi esse jurerint in Ecclesiæ ministerio conservandi.

*Sess. 23. c. 4. usq.  
que ad cap. 16.  
Conc. Mex. 1. o.  
45. & Conc. Tar.  
racon tit. de eta.  
te, & qualit. c.  
prima tonsura,  
fol. 16. Guadix  
tit. 2. a confit.  
42. usque ad 48.  
& Granat. dictio  
tit. de etate, &  
qualit. & Synd.  
de Quiroga confit.  
26. & 27. &  
Conc. 5. Milan.  
ubi supra.*

## §. III.

**M**inoribus initiandi cantum Ecclesiasticum addiscant. **N**emo ad quatuor minores Ordines promoveatur, nisi quantum fieri poterit, Ecclesiastici cantus rudimentis instructus.

*Gran. & 5. Mi.  
lan. ubi supra.  
precedendi.*

## §. IV.

Eundem probe sciant, & Breviarij recitationem ad Subdiaconatum promovendi,

**A**D Subdiaconatum promovendi, in cantu Ecclesiastico periti sint, & in recitando horarum Oficio, juxta ordinem Breviarij editi ex Concilij Tridentini decreto, exercitati.

*Granat. & Mi.  
lan. ubi supra.*

## §. V.

Similiter, & promovendi ad Diaconatum.

*Granat. & Mi.  
lan. ubi supra.*

**D**iaconatum suscepturn, non in bis solum; sed in cæremonijs etiam illi Ordini competentibus, examinentur.

*K* §. VI.

Nec Presbyteri primam Missam celebrent, nisi a Magistro Cæmeriarum prius examinentur, & Sacramenti Panitentie formam sciant.

*Sess. 23. c. 14.  
Infra lib. 3. tit.  
15. §. 3.*

**Q**UI ex prescripto Concilij Tridentini idonei reperi, in Sacro Presbyteratus ordine fuerint constituti, primam Missam ne celebrent, nisi prius, ut in titulo de celebratione Missarum, & Divinorum Officiorum habetur, a cæmeriarum Magistro, examinati, & approbati, ab eodem celebrandi licentiam obtineant: formam præterea absolvendi a peccatis, & censuris sciant; ut vero tanti celebratio Mysterij in suarum animarum salutem cedar, promotos ad Sacerdotium monet, & hortatur hæc Synodus: ut quantum sit illud Dominici corporis Sacrificium, toto corde, totaque mente contemplantes, ad illud celebrandum divinæ gratiæ auxilio se præparent, eaque animi puritate, ac sinceritate, quibus æquum est, Sanctissimumque Corporis, & Sanguinis Domini Sacrificium accedant, sive Sanctuarium Dei ingrediantur, ut tanquam mediatores, inter Deum, & Populum pacem componant.

Ad Beneficia Curata promovendi, sint in Doctrina Morali probe instruti, & ad Evangelium exponendum apti.

**S**acerdotes, quibus animarum cura committenda est, quantum Doctrina præstare debeant, vel ex eo facile intelligere licet, quod veluti Duces, Magistri, & Medici existant, qui subditos in cœlum dirigant, sanam Doctrinam doceant, spiritualibus eo-

rum morbis medeantur. Quare nullus Curatum beneficium obtineat, nisi prius probatus, & examinatus, idoneusque repertus, in Sacramentorum præsertim pœnitentia administratione versatus sit, & conscientiæ casibus bene instructus, ad formam ab hac Synodo dispositam, & una cum directorio Confessorum, & pœnitentium comprobatum, quæ in omnibus, & per omnia obseretur, & executioni mandetur. Aptus præterea sit, ad exponendum Sanctum Evangelium subditis, eo saltē modo, quo magis ad salutem necessaria edocere possint. Hinc enim sit, ut subditus de suis Parochis bonam opinionem concipient, eosque tanquam Patres spirituales confidenter adeant, ut quibus oportet ad salutem documentis instruantur.

*Optime loquitur  
Conc. 5. Milan.  
ubi supra cit. de  
initiand. Ordin.  
Sacramento. fol.  
764. 2. 2. 2.*

## DE VITA, FAMA, ET MORIBUS

### ORDINANDORUM.

Nullum Episcopi promoteant, nisi optime moratum, & lufui non affuetum.

**Q**UI A vita integritas, & morum honestas in ijs, qui ad Ecclesiasticos Ordines promovendi sunt, litterarum scientiæ præferri debet, hæc Synodus decernit, & jubet, ne ullus Episcopus sibi subditos ad Ordines admittat, aut admitti concedat, nisi prius a fide dignis, & morum gravitate probatis testibus, tam Ecclesiasticis, quam Secularibus, cum quibus promovendus societatem

*Conc. Trident.  
Sess. 7. c. 10. Sess.  
21. c. 2. Sess. 23.  
cap. 5. 7. 11. 13.  
& 14.*

*Mexic. 1. c. 44.  
Guad. tit. 2. con.  
fess. 48. & Mil.  
lan. 1. tit. que  
ad Sacramento.  
rum administra.*

30 Lib. I. Tit. IV. de reteate, & qualitate

sionem pertinet.  
& 4. & 5. ubi  
sup. §. 1. & Gra-  
nat. de aetate, &  
qual. u. 4. & Li-  
mev. 3. ad. 2.  
cap. 30.

In cap. inter di-  
letos de execf.  
prel. Conc. Tri-  
dent. Sess. 22. c.  
1. de Reform. &  
vide infra lib. 3.  
tit. 5. de vit. &  
honest. Clerico-  
rum §. 21. & 25.

inierit, vel alias fuerit conversatus, habito testimo-  
nio, quo possit constare ordinandum eo tempore, &  
per multos antea menses, quibus decent puritate, &  
honestate vixisse, Aleæ, aut alijs illicitis ludis prave  
assuetum non fuisse, aut esse, nec statutis a jure tem-  
poribus, peccatorum confessionem omisisse. Quod si  
secus constiterit, nullatenus promoveatur, donec vi-  
te, ac morum conversatione in melius commutata  
maculam delectat, ex ante acta vita suscepitam. Diffici-  
le enim est eos in novo dignitatis gradu positos fieri  
meliores, qui vitijs, & sceleribus defedati, non sine  
multorum scandalo, quibus eorum prave facta nota  
sunt; ad illum statum pervenerunt.

§. II.

Nullus criminis capitalis reus ad Sacros Ordines ad-  
mittatur.

Mexic. I. c. 47.

**E**ccllesiastici Ordinis perturbatio inde sæpe secu-  
ta est, quod ijs aditus non sit occensus, qui ca-  
ducatur rerum cupiditate ducti, pravis cogitationis-  
bus Sancta Ministeria concupiscunt: Quare nullus ad  
Sacros Ordines admittatur, qui commissio crimine  
pena sanguinis puniendo, magis, ut penam sibi a  
seculari Judice infligendam evadat, quam ut in Sa-  
cris Ordinibus proficiat, promoveri velit. Qui vero  
ob hanc cautelam Sacros Ordines suscepit, sit ipso  
facto suspensus, et si de crimine constititerit, tamdiu in  
exilium relegatus sit, quamdiu Episcopo videbitur  
expedire.

§. III.

ordinandorum, & præficiendorum.

31

§. III. *tit. III. cap. 30.*  
Tum Indi, tum Mixti non nisi magno delectu ad Ordini-  
nes admittantur; nullatenus autem infamia aliqua notati.

**U**T honor, & reverentia Clericali Ordini defera-  
tur, Sacris est Canonibus constitutum, ut qui  
aliquos patiuntur naturales defectus, aut alios, qui  
tametsi non imputentur ad culpam, minus decent  
Clericalem statum, non ordinantur, ne Sacris Ordini-  
bus initiati contemnantur, eorumque Ministerium  
vituperetur. Propterea interdicit haec Synodus, ne  
descendentes ab his, qui a Sancte Inquisitionis Officio  
damnati fuerint, in primo, & secundo gradu quo ad  
Patrem, quo ad Matrem vero in primo tantum, ad  
Sacros Ordines admittantur: quia vulgari infamia no-  
tati. De quorum natalibus tunc sufficiens erit inqui-  
sitione, cum ad Parentes, & Avos usque perventum  
fuerit, difficile enim esset propter antiquitatem ulte-  
rius progredi, indeque varia pérjuria, caluniae, &  
inimicitiae orientur. Inde etiam, nec Mixti, tam ab  
Indis, quam a Mauris, nec non ab illis, qui ex alte-  
ro parente Ætiope nascuntur, descendentes in primo  
gradu, ad Ordines sine magno delectu admittantur.

DE TITULO BENEFICIJ, AUT PATRIMONIJ.

§. I.

Nullus Clericus Secularis ad Ordines admittatur,  
nisi beneficium babeat.

**C**UM non deceat eos, qui Divino Ministerio  
addicti sunt, cum Ordinis dedecore mendi-  
care, aut sordidam aliquam artem ad victimum

L

exer-

*Guadix tit. 2.  
conf. 47. 48. &  
49. & Provinc.  
de Quiræga ad.  
3. cap. 34.*

*tit. III. cap. 30.*

*tit. III. cap. 30.*  
*Conec. Milan. 5.  
fil. 766. verba  
At vero bac in  
primis.*

**32** Lib. I. Tit. IV. de estate, & qualitate

Sess. 21. cap. 2.

exercere, Concilij Tridentini autoritate innixa hæc Synodus statuit, ne ullus Clericus Secularis ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius Episcopo legitime constet, eum beneficium, quod sibi ad victimum honeste sufficiat, pacifice possidere. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, prius quoque perspecto, Patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. Perpendens tamen hæc Synodus, quanta in hac Provincia sit necessitas Ministrorum, maternam indigenarum linguam callentium, decernit, ut qui linguam aliquam Indorum noverint, ad Sacros Ordines promoveantur, etiam si beneficium, Patrimonium, vel pensio ab eis obtenta talia non sint, quæ congrue victimum suppeditare possint. His enim, quomodo ordinantur, periculum mendicandi verissimile est non obstat, quia si moribus, scientiæ, & ætati requisitis, lingua quoque Indorum usum adjungant, Indisque Sacraenta, & alia spiritualia ministeria præstare possint, inde, quæ sibi ad victimum sufficient, cum decoro Ecclesiastici ordinis comparabunt.

Conc. Limensis. 3.  
ad. 2. cap. 2.

Quid de his qui  
Indorum callent  
Idiomata?

Ex ix. in cap. pe-  
nulti. de Simonia  
loquitur Provin-  
de Quirgoza, act.  
2. c. 32. & Li-  
mens. 3. ad. 2.  
cap. 20.

**§. II.**

*Per fraudem ad beneficium promoti, suspendantur.*

**O**ccurrere volens hæc Synodus artibus, & fallacijs, quibus aliqui nullum beneficium, aut Patrimonium vere obtinentes, sed falsos beneficiorum titulos, fraudulentasque facultatum donationes cum pacto tacito, vel expresso, de non recipiendo, vel

resti-

ordinandorum, & præficiendorum.

**33**

restituendo confingentes, ordinari solent; statuit, ac decernit, ut si quis fraude, dolore ad Sacros Ordines fuerit promotus, a susceptis Ordinibus sit ipso facto suspensus, & pro tanto scelere arbitrio Ordinarij puniatur.

**§. III.**

*Cum patrimonio promoti, Ecclesijs adscribantur, eisque  
teneantur inservire.*

**J**uxta Concilij Tridentini decretum, illi tantum Patrimonium, vel pensionem obtinentes ordinari possunt, quos Episcopus assumperit pro communitate alicuius Ecclesiæ, cui adscripti esse debent, ad munera Ecclesiastica obeunda, neque eam sine Ordinarij licentia deserere possunt; verum quia multi ad titulum Patrimonij, vel pensionis promoti, facile deinde Ecclesiæ, cui adscripti sunt, relinquunt; jubetur, ut Ecclesiæ deputatio in titulis Ordinum scripta inseratur, Visitatores quoque inquirant, an prædicti, quæ præstare tenentur, muneribus functi fuerint, quod si contra se gesisse compererint, ad præscriptum Concilij Tridentini, ab ordinum executione suspendantur, cuius suspensionis tempus Ordinarij arbitrio relinquatur.

Sess. 23. c. 15.

Prov. de Quid.  
roga, act. 3. c.  
33. & vide in-  
fra lib. 3. tit. 15.  
de celeb. Miseric.  
S. 14.

**DE MODO CONFERENDI ORDINES,  
ET LITTERAS DIMISSORIAS.**

**§. I.**

*Ab alieno Episcopo nullus promoveatur, nisi de licentia,  
& cum testimonio proprij Ordinarij.*

**I**n conferendis Ordinibus, ea prorsus ratio servari jubetur, quam amplexa est universalis Tridentina Synodus, juxta quam decernitur, ut

Sess. 23. cap. 8.

L 2

Epif-

34 Lib. I. Tit. IV. de ætate, & qualitate

Episcopi per se ipsos Ordines conferant, si vero ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos, & examinatos, ad aliud Episcopum dimittant. Nullus autem nisi a proprio Episcopo ordinetur, quod si ob legitimam causam ab alio Episcopo promoveri quis perat, nullatenus ei permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur, sub poenis in Concilio Tridentino statutis. Facultates de promovendo a quo-cumque minime suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quā a proprijs Episcopis ordinari non possint in litteris exprimendam, ut est ab eodem Concilio dispositum.

Seff. 23. cap. 8.

Seff. 7. cap. 11.

Limenf. 3. act. 2.  
e. 30. verbo quia  
vere.

Exteri quando poterunt, & quomodo ad Ordines promoveri?

**A**D abolendam pravam consuetudinem contra decreta hujusmodi, in hanc Provinciam introduciam, qua multi alienigenæ, ab alio, quam a proprio Episcopo, & absque ejus consensu, & approbatione ad titulum, quem vocant, domiciliij, sive jurati, ordinari consueverunt, praestito solum juramento, sibi esse in animo, in ea Diœcesi, ubi promoti fuerint, permanere, interdicti hæc Synodus, ne quisquam ad titulum hujusmodi ordinetur, aut ordinari permittatur, nisi per tantum tempus in ea Diœcesi vicam duxerit, ex quo probabile sit, velle se ibi permanere. Quod si aliqui contra hoc decretum fuerint promoti, ipso facto ab executione susceptorum ordinum suspendantur, & cujuscumque beneficij, seu administrationis Indorum sint incapaces per triennium.

Qui

ordinandorum, & præficiendorum.

35

Qui vero in una Diœcesi ordinari cœperint, in alia, quamvis ibi per tres annos fuerint commorati, reliquos Ordines non suscipiant, nisi a proprio Prælato cum litteris dimittantur, & unusquisque proprium Pastorem agnoscat, & Hierarchiæ Ecclesiastice, ordine minime perturbato, quod est Sanctorum Canonum, & Sacrosancti Concilij Tridentini decretis de hac re sanctum, inviolabiliter observetur. Littere item dimissoriæ ad unum tantum ordinem suscipiendum concedantur, ut quam in munere suscepti ordinis exequendo diligentiam ordinatus præstiterit, Episcopus intelligat. Interstitia vero temporum a Concilio Tridentino præfixa observentur, nisi in illis pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ suæ visum fuerit Episcopo dispensare. Absentibus vero sine prævio examine, coram Episcopo, vel ejus Examinatoribus, litteræ dimissoriæ non dentur.

§. III.

Regulares non, nisi prius examinati, ad Ordines admittantur.

**R**egulares juxta Concilij Tridentini decretum, nec ante ætatem omnibus a jure præscriptam, nec sine diligentí Episcopi examine ordinentur, nec eis duo Sacri Ordines eodem die conferantur, qui buscumque privilegijs; quo ad hoc pœnitus exclusi.

DE EXAMINE ORDINIBUS PRÆMITTENDO.

§. I.

Episcopi in Diœcetana Synodo Examinatores elegant.

**U**T ordinandorum, & eorum, quibus animarum cura credenda est, quibus polleant me-

M

Seff. 23. cap. 12.  
& 13.

Temporum In-  
terstitia in Or-  
dinibus confer-  
dis obseruentur.

Seff. 23. c. 12.  
& 13. & Prov.  
de Quiroga, act.  
3. c. 47. & est  
declaratio Car-  
dinis in dictis lo-  
cis, Conc. Tride-

ritis, quamve ad spiritualia munera obeunda idonei sint, facilius Episcopis notum fiat, præcipit hæc Synodus Mexicanæ Provinciæ Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, quæ primo quoque tempore celebrabitur, tres saltim eligant, & deputent Examinatores, qui una cum Episcopo, vel ejus Vicario, si Episcopus fuerit impeditus, de scientia ordinandorum periculum faciant, ante Synodum autem habitam, per suos Episcopi id etiam præsentent. Examinatores vero deputati, in suo munere obeundo, hanc a Synodo præscriptam formam obseruent.

*Conc. Sef. 24. c.  
18 Vers. licet  
etiam.*

*Conc. Tolos. ad.  
2 c. 24. Provin.  
d. Quiroga. ad.  
3. a.c. 22. usq;  
ad 26. Limenf.  
3. ad 4. c. 17. &  
Conc. Milen. 5.  
tit de examinan-  
di ratione a fol.  
757.*

**E**xaminatores in Synodo Diœcesana constituti, jurejurando se obstringant de fidilitate servanda in suo suscepso munere, de vere, & sincere manifestanda eorum comperta scientia, de quibus ipsi experimentum sumperint, amore, odio, aliove omni humano affectu posthabitis. Examinis vero causa, nihil quidquam pecuniae, præmij, alicuiusve doni, aut quid simile accipient.

*Conc. Limenf. 3.  
ad 2 c. 32. &  
Milanen. 5. ubi  
supra §. præced.*

**§. III.**  
*Examinandus Episcopo denuntietur, qui aliquid Examina-*  
*toriibus donaverit, aut etiam promitterit.*

**S**i examinandorum quisquam per se, vel interposam Personam dona, favoresve Examinatori promitterit, Episcopo statim denuntietur, & eundem ad Ordines pro illa vice inhabilem decernat.

*Ne Examinatores quid interrogaturi sint, antea reve-*  
*lent, neque intersint examini cognitorum suorum.*

**E**A, de quibus subiuri examen interrogandi sunt, per se, vel per alios directe, aut indirecte, ne revelent: si quis eorum, qui examinandi sunt, consanguineus, affinis, familiaris, familieve adjunctus aliquius Examinatoris fuerit, examinator ille ne praesens quidem adsit, sed id Episcopo notum faciat, ut aliis in ejus locum vocetur.

*Suam sententiam nemini revelent.*

**N**E sententiam, quam in approbando, vel repro-

bando dicturi sunt, ulli manifestent, sub po-

na Excommunicationis majoris ipso jure, do non in-

*Tituli præcedentium Ordinum exhibeantur, ante quam*  
*quis ad Ordines subsequentes admittatur.*

**N**E quemquam ad examen subeundum admit-

tant, nisi prius suscepti Ordinis titulum ab

Episcopo, & Notario subscriptum, signillatumque ex-

hibuerit.

*Hacenus dicta Examinatores præsent in concursibus*  
*ad beneficia.*

**Q**UE omnia, sub eisdem juramento, & censura,

tunc quoque servare teneantur, cum de Epi-

scopi mandato, aliquos ad beneficia obtinenda ex-

amine contigerit.

## TITULUS V.

## De Sacramentorum Ecclesiæ Administratione.

S. L.

*Nihil pro Sacramentorum administratione exigatur, nisi  
-nihil juxta taxam ab Episcopo præscriptam.*

**C**ap. ad *Apostolum*, c. non fatis de *Simonia*.  
Mexic. l. c. 23.  
& c. 2. Guad.  
tit. 2. conf. 3. &  
22. & conf. 14.  
15. 16. *Milan*.  
1. verbo cum Sa.  
cramenta, & Sy-  
nodus de *Quiroga*  
conf. 35. & Pro-  
vinc. ejus de *Qui-*  
*roga* ad. 3. c. 12.  
& Compos. ad.  
7. c. 10. & Li-  
mens. 3. act. 2.  
cap. 38.  
*Conducit mate-*  
*ria tx. in capit.*  
*abolenda de se.*  
*pultris.*

**S**acrosanctæ Ecclesiæ Sacra menta, quæ non in-  
venta ab hominibus, sed a Christo, Domino  
instituta sunt, & ad nostram salutem divini-  
tus concessa, ut digne, & salubriter administrentur,  
& a percipientibus summo in honore, & veneratio-  
ne habeantur, maxime oportet eorum Ministros,  
illua de se omnibus, præsertim Indis, qui rudes sunt,  
& minus intelligentia valent, præbere testimonium,  
ut non ob aliquod temporale lucrum, sed tantum ad  
salutem animarum Sacra menta conferri, omnes intel-  
ligant. Præcipit igitur hæc Synodus, ne ullus Cleri-  
cus pacto, contractu, hortatu, aut conventione per  
se, aut per alium, direc tè, vel indirecte pro Sacra-  
mentorum Administratione sibi tempora le quidquam  
dari procuret; si qui vero secus fecerint, ultra peinas  
a jure in Simoniacos decretas, si femei id commis-  
sirent, poenam quinquaginta pondo incurvant, quo-  
rum partes duæ Ecclesiæ, ubi fuerit delictum per-  
petratum, distribuantur, tertia vero accusatori. Si au-  
tem bis in hoc crimen inciderint, a Sacerdotali offi-  
cio per annum suspendantur: Si ter, a tota Provincia  
per triennium exules sint; non tamen hoc Decreto  
prohibetur, ne mercedem in singulis Episcopatibus ab  
Episcopo constitutam, percipient.

§ II.

S. I.

*Rituale Mexicanum ab omnibus observetur, donec Rituale Romanum publicetur.*

**V**erum, ut illud, quod ex conformi Sacrarum cæmeriorum usu in Cultu Divino provenit, decorum servetur, & ea evitentur incomoda, que ex varietate hujusmodi oriuntur; Curati omnes hujus Provinciæ, tam Seculares, quam Regulares, in Sacramentis administrandis, præscriptam in Rituali Mexicano formam teneant, quo usque a Sede Apostolica Rituale ad usum universalis Ecclesie evulgeretur. Si qui vero aliter Sacraenta administraverint, tanquam perturbatores Ecclesiastici Ordinis punientur.

*Mexic.* I. c. 67  
& *Limenf.* 3. ad  
a. c. 37. & *Conc.*  
4. *Tolet.* c. 26  
*ubi Loaysa* fo-  
370 verbo libet  
ium.  
*Conc.* *Milan.* 5  
fol. 716. verb  
illus in primis  
& *Conc.* Pro  
*Bonon.* *Cardit.*  
*Pallotti.* 4. part

## TITULUS VI.

## De Sacra Unctione.

unpublished

*Nihil pecunie, aut similis rei in Sacramenti Confirmationis administratione ab Episcopis exigatur.*

**V**OLEMUS haec Synodus, ijs incommodis, quæ  
in conferendo Indis Confirmationis Sacra-  
mento & fuerunt, & esse possunt, oppor-  
tunum remedium asserre: statuit, ac præcipit, ne  
quidquam pecunia, argenti, alicujusve rei similiis,  
dum Episcopi Sacrum Chrisma ministrant, ab Indis,  
vel ab alijs ulli petant, ut ad id offerendum esse in-  
ducant, immopotius pro gravitate, & autoritate Epi-  
scopalis dignitatis, Candelas, & vittas, quas suscepimus.

*Limenf. 3. ab  
2. c. 13.*

Sacramentum Confirmationis deferre solent, indigenitus in eleemosinam Episcopi conferant.

## §. II.

*Vita confirmatorum comburantur.*

**P**raetexto vero Confirmationis ministerio, vittæ omnes ad usum ejus adhibitæ comburantur, ne postea prophanis usibus deferviant.

## §. III.

*Patrini duo generales in singulis oppidis assignentur.*

**S**ED quoniam propter Indorum ignorantiam facilius evenire potest, ut nulla habita ratione cognitionis inter susceptorum, & confirmatorum, illiusque Patrem, & Matrem contractæ, hi in gradibus prohibitis Matrimonio se conjungant: Huic malo Episcopi occurrentes in singulis Indorum oppidis duos susceptores deputent, qui vel sine suspicione contrahendi Matrimonium sint, vel spiritualis cognitionis rationes optime noverint, idque observetur donec Episcopis hujusmodi deputatio, Indis peritioribus factis, non amplius necessaria visa fuerit.

## §. IV.

*Indis Unctio extrema ministretur.*

**P**arochi item tam Seculares, quam Regulares, Indis, & servis ægrotis in mortis periculo constitutis, Sacramentum Extremæ-unctionis ministrent, quod cum sit a Christo Domino ad communem omnium salutem, sine delectu Personarum institutum, omnibus Fidelibus in articulo mortis devote petentibus tribuendum est. Parochi vero muneri suo satisfacti.

facere minime possunt, si medicinam animæ, & corpori tam salutarem suis subditis denegaverint.

## §. V.

*Ad eam recipiendam Iudi ne a suis dominibus extrahantur, aut ad Ecclesiam deferantur.*

**Q**UIA vero graviter ægrotantes, Extremæ-unctionis suscipienda causa, ad Ecclesiæ, seu Monasteria deducere tutum non est, ne externus impulso, aut mortem illis conciliet, aut saltim acceleret, miseræ genti, & omnipium rerum inopi, consulere volens hæc Synodus, in virtute Sanctæ Obedientiæ Curatis omnibus Secularibus, & Regularibus præcipit, ne Indos, aut servos ægrotos, hujus rei causa, ad Ecclesiæ, vel Monasteria, ulla tenus ferri permittant. Immo Curati ipsi officij sui, & charitatis, qua erga proximos esse debent memores, ad ungendum infirmos, eorum adeant domos, quas prius decenti ornatu paratas esse curabunt. Si vero contra hoc decretum fecerint, probabili irregularitatis periculo se exponi intelligent, & quam sicut, de morte proximi quod eorum inhumanitatem secuta, rationem Deo reddituri, animadvertant.

## §. VI.

*Huic rei sedulo invigilent Episcopi.*

**E**piscopi vero tantum scelus acerrime vindicari studeant, ut tam immanis, & barbara consuetudo, & non solum ab Ecclesiastico, & Religioso homine, sed ab homine prorsus aliena, radicitus extirpetur, funditusque tollatur.

## N 2

## §. VII.

*Gran. tit. de Sacra Unct. n. 3. & 4. Milan. 4. tit. quæ pertinent ad Extrem. Unctio. nem verbo Paro. chus. & 5. tit. quæ pertinent ad Sacram. Extra. ma-unctio.*

**D**E xestate ad hoc Sacramentum suscipiendum ea regula sit, ut quibus per xestatem licet Euchariam sumere, eisdem etiam licet Sancto infirmorum Oleo inungi.

**§. VIII.** *Extrema-unctio tempestive a domesticis petatur.*

**J**I tamen, qui ægrotorum curam habent, admonentur, ut opportuno tempore, a Parocho deferri Extremam-unctionem procurent, siveque infirmus, dum integris est sensibus, ungatur, ut vim Sacramenti corpori, & animæ salutarem, dum compos sui est, intelligere valeat.

**§. IX.**

*Quid observandam in novi Chrysostatis ad Proicias singulas deportatione.*

*Gran. tit. de Sacra Unct. ad. 1. & Syn. de Quir. rogo, confit. 24. & 25.*

**A**D Sacrorum Canonum observationem, & ne in Ecclesijs Sanctum Chrismat, Cathæcumenorum, & infirmorum Oleum unquam desit, juber hæc Synodus, ut in singulis annis infra quindecim dies, a feria quinta in Cœna Domini, quo die hæc, vertente anno, consecrantur, immediate numerando, Vicarij omnes, & singuli hujus Provinciæ per se, vel per Clericos Sacro Ordine initatos, ad Civitatem, ubi est Sedes Episcopalis, convenient, & quod in Sacristia cuiuslibet Cathedralis Ecclesiæ distribuitur Sanctum Chrismat, & Oleum, quantum omnibus distractus sui Parochis sufficiat, inde afferant. Nemo autem infra præfixum tempus id facere omittat, sub

*IV. 2*

*pæ.*

*pœna pondo quinquaginta. Curati autem reliqui, eum locum, ubi Vicarius residet, adeant, vel eo Clericos in Sacro Ordine constitutos mittant, ut Sanctum Chrismat, & Oleum in suas Parochias inde reportent, sub pœna pondo octo, fabricæ applicandorum. Is autem, qui vel in Cathedrali, vel in oppido, ubi Vicarius residet, Chrismat, & Oleum distribuit, nihil quidquam pro his distribuendis accipiat, librumque secum habeat, ubi cum die, mense, & anno nomina eorum inscribat, qui ab eo Chrismat, & Oleum sumpserunt, sub pœna duorum pondi, ad usum fabricæ Ecclesie.*

**§. X.**

*Vetus Oleum comburatur, & ne deinceps adhibeatur.*

**C**uratis quoque omnibus præcipitur, ut Chrismat, & Oleum hujusmodi frequenter renovare studeant, eamque in renovando formam servent, ut minor semper Olei quantitas addatur, quam reliquum fuerat; si vero aliquid Chrismatis, vel Olei anni proxime præteriti, cum novum defertur, superfluerit, illud comburatur, vel in fontem Baptismalem spargatur, a die vero feria quintæ in Cœna Domini imposterum, antiqui Chrismatis, & Olei Cathæcumenorum usus cesseret, sub poenis a jure decretis, nec Sabato etiam majoris hebdomadæ ad fontes antiquum Oleum adhibeatur, sed novum spectetur. Conceditur autem, ut si quis mortis periculo laboraverit, Oleo infirmorum præteriti anni inungatur, novi Olei copia adhuc non habita; cuius rei causa, a feria in Cœna Domini infirmorum Oleum astringari poterit, quo usque novum pervenerit, & deinde consumi.

*O*

**§. XI.**

*Gran. tit. de Sacra Unct. n. 1. 2. & 3. & Mil. tan. 4. 2. p. conf. verb. Parochus.*

*Locus decens pro Sacrorum Olearum custodia deputetur.*

*Mexic. I. c. 33.*

**A**D Custodiā vero Sancti Chris̄t̄is, & Olei, locus clausus cum decenti ornatu deputetur, cuius clavem Parochus habeat, nec cuiquam tradat, nisi alicui Sacerdoti cum opus fuerit. Quo loco Rituale etiam ministrandorum Sacramentorum formam praescribens affervabitur.

## TITULUS VII.

De Clericis Peregrinis.

*Episcopis, Vicarijs, Parochis, & Regularium Superioribus precipitur, ne exteros ad Missam celebrandam admittant, nisi sui Episcopi litteras ostendant.*

**S**UMMIS a Deo precibus efflagitare Episcopi deberent, ut eos in messem suam operarios mitteret, qui divina voluntati conformes, salutem animarum stirent, non quae sua sunt querentes, sed quae Jesu-Christi. Verum quod est omni lachrimarum fonte plangendum, Sacerdotes aliqui, non pietatis zelo, sed auctu quodam avaritiae flagrantes, incertis sedibus vagantur, & ovibus sibi commissis derelicti, eo avide confugiunt, ubi maius stipendium temporalis lucri proponitur. Cui tam gravi malo Tridentinum Concilium occurtere volens, *Seff. 23. c. 16. & Seff. 22. in De-creto de obser-* Precipit, ne ullus Clericus Peregrinus, sine commendatitijs sui Ordinarij litteris (quas tamen sine justa causa Ordinarius non deneget) ab ullo Episco-

*tō in celebra-*

*tō Miffarum.*

po ad divina celebranda, & Sacraenta administranda recipiatur, quod tam Sanctum Concilij Decretum hæc Synodus inviolabiliter observari vult, sub pena suspensionis arbitrio Ordinarij. Interdicit quoque, ne ullus Vicarius, seu Judex Ecclesiasticus Clericis hujusmodi celebrandi licentiam concedat, nisi eorum facultates, & litteræ dimissorie diligenter prius examinate comprobentur. Idemque injungit superioribus ordinum in suis dominis, aut Monasterijs. Itidem jubetur, ut si qui Clerici ex Hispania, aut alijs remotis Provincijs, in has Indiarum partes migraverint, mulieres secum matrum, sororum, & consanguinitate propinquarum nomine deferentes, nisi id ita esse legitime constiterit, a mulieribus hujusmodi separantur, si vero separati non paruerint, tanquam concubinarij publice puniantur.

*Mex. I. c. 45. & Guadix tit. 2. const. 54. Mil. 1. tit. que pertinent ad celebrationē Missa, verb. Cle- ricis, & Granat. tit. de Cleric. Pe- reg. Syn. de Qui- roga confit. 57. Limenf. 3. ad. 3. cap. 9.*

*Mexic. I. c. 57.*

## TITULUS VIII.

De Officio Judicis Ordinarij, & Vicarij.

*Ad Episcopi Vicarios admonitio.*

**U**T Episcopi Populum a Deo sibi commissum, quibus opus est prudentia, & solicitudine, gubernent, ac moderentur, atque ut facilius orationi vacent, Doctrina pascent gregem, & saluti consulant animarum, Vicariorum opere indigent, quos in partem solicitudinis, præsertim earum rerum, quæ fori Judicialis sunt, sibi alficant. Quam obrem Vicarios hujusmodi hæc Synodus vehementerhortatur, ut quam sit eorum industria ad Populi Christiani

*Grauat. tit. de Offic. Judic. Or- din. Guadix tit. 8. const. 11. 12. 13. & 14. Mi- lau. 4. 3. parti- tit. de foro Epi- scop. & 5. tit. de Epi- scopali jure.*